

id confirmat paratum, ut aediles sortirentur, quoniam discerni huiusmodi magistratus nisi sorte non possent.

§ 55. Cur non eius damnatione aliquid ad hoc iudicium praeiudicii comparasti?

... Probat ipsum adversarium iudicasse nihil omnino 5
suspicionis esse, quod in Plancium posset oboriri ex per-
sona eius, qui divisor fuisse videatur, quoniam eundem
neque reum fecerit neque ullam vel tenuem probationem
habere adversus eum potuerit, quo damnato sine dubio
consequenter videretur de Plancio praeiudicatum. 10

§ 56. Quibuscum me, iudices, pugnans more meo
pristino non videbitis; non quo mihi fas sit quic-
quam defugere, quod salus Plancii postulet.

Figmento quodam verecundiae declinat eam partem,
quae difficultatis aliquid habere videatur adversus quorum- 15
dam testimonia contendit et non sine ..., qua se omnem
Plancio sollicitudinem debere testatur. Sic et religioni,
quam magnis beneficiis eius debet, satisfacit et pedem
refert ab insectatione testium, quibus dicit esse parcendum.

§ 58. In quo, Cassi, si tibi ita respondeam nescisse 20
id populum R. neque fuisse, qui id nobis narraret,
praesertim mortuo Congo.

Iuventiae familiae, ex qua Laterensis contextum generis
habebat, probaturus veterem nobilitatem Cassius prae-
iactaverat hunc aedilem primo ante alios loco fieri de- 25
buisse. ... igitur in eundem Cassium facta M. Tullius
negat populum, id est vulgus inperitorum iudicare peni-
tus de familiae clarioris nobilitate potuisse, ut nonnisi
peritiores vetustatis et qui antiquitatem per historias